24956/P

530530

CASUS MEDICO-PRACTICUS DE POLYPO CORDIS CUM NIMIA PALPITATIONE CORDIS,

ANNOTATIONES PRACTICÆ

ET

ANIMADVERSIONES ANATOMICÆ

CUM

EXPLICATIONE FIGURARUM

A

JOACHIMO GOETZKE,

AA. LL. PHILOSOPHIÆ ET MEDICINÆ DOCTORE, SACRÆ CÆSAREÆ REGIÆQUE APOSTOLICÆ MAJESTATIS ET FORTALITII PHILIPPSBURGENSIS PHYSICO.

CUM LICENTIA SUPERIORUM.

Spiræ,

APUD JOANNEM HENRICUM ZEINER. 1764.

LIBRARY
INSTITUTE

ILLUSTRISSIMO, EXCELLENTISSIMO

AC

EXPERIENTISSIMO DOMINO

DOMINO

GERARDO

LIBERO BARONI

DE VANSWITTEN,

AA. LL. PHILOSOPHIÆ ET MEDICINÆ DOCTORI,

SACRÆ CÆSAREÆ REGLÆQUE APOSTOLICÆ MAJESTATIS ARCHIATRO DIGNISSIMO, BIBLIOTHECÆ CÆSAREO-REGLÆ PRÆFECTO, SOCIETATIS SCIENTIARUM PARISIENSIS SODALI, NEC NON INCLYTÆ FACULTATIS MEDICÆ IN ALMA UNIVERSITATE VIENNENSI PRÆSIDI

MAGNIFICENTISSIMO &c.


MECÆNATI

AC

PATRONO SUO

OMNI CULTU ET MNEMOSYNO

LONGE OBSERVANDISSIMO.



ILLUSTRISSIME, EXCELLENTISSIME

AC

EXPERIENTISSIME DOMINE

DOMINE

ARCHIATER

MAGNIFICENTISSIME,

Artem Medicam, *ILLUSTRISSIME & EXCELLENTISSIME DOMINE!* & Bello & Pace ſummoperè eſſe neceſſariam, non eſt, ut pluribus in pagella haç argumentis & rationibus perſuadere contendam; cum res ipſa, ut ajunt, eloquatur; ea quippè unicum hujus vitæ ſolatium, pacis opportunitatem (quæ

(quæ profectò ſine corporis valetudine miſera aut certè nulla eſt) eximiè ornat, florere facit, Rempublicam à Sæviſſimis Morborum contagiis tuetur, Robur Imperii per ſingulas civitatem & oppidorum plagas auget, nec non multiplicat; Bellorum verò calamitatibus graſſantibus omnis generis præſcribit commoditates, Martis aſſeclas contrà Cœli, aëris, caloris, frigorisquè injurias munit, languentes erigit, copias hoſtium vi ſæpè profligatas reſtaurat, ab inflictione crudelis cædis & necis quàm plurimos liberat. Hinc & ob inſignem, quam præſtat, utilitatem non immeritò olim à Regibus & Fortiſſimis Belli-exculta-Ducibus ampliſſimæ dignitatis munere fuit decorata: atquè celebris Ariſtotelis 1. de Republ. indè ſententia: Ubi *Principem & Patrem Familias Magìs Medicinæ deditum, quàm divitiis & opibus comparandis aptum deſiderat.* Quantùm Militibus profuerunt Græci Machäon & Podalirius Æſculapii Medicorum Dei Filii! quorum alter etiam in expeditione periit: nec

 minori

Minori commodo Theſalus, Hypocratis noſtri ex Coo Inſulà Principis natu-Major Filius, Claſſem Athenienſem propriis & Paternis inſequebatur ſumptibus, ut non immeritò poſteà ab Athenienſibus aureâ donatus fuerit coronâ. Sanè, dum etiam ſanctiſſimi viri præſtantiſſimorum Ethnicorum de Arte Medicà Teſtimoniis ſubſcribere non dubitarunt, eo quòd nihil tam divinum, quàm hominum ſanationes, & juxtà Effatum Eccl. 38. v. 2. *â Deo omnis Medela atque â Rege accipiat Donationem* : ità ut in Univerſitatibus Excellentiſſiorum Doctorum Theologiæ & Juriſprudentiæ ſubſellia gradum & locum, quidni apud Majeſtates & Magnates Orbis Prærogativas ac Primas obtineant, juxtà illud :

Dat Galenus Opes : dat Juſtinianus honores

& illud Plinii L. 24. C. 1.

Paremus externis, & una Artium Imperatoribus quoque imperat.

Atque

Atque dum tua, *VIR EXCELLENTISSIME & ILLUSTRISSIME!* non modò Univerſæ Reipub-licæMedicinali plane admirabilis, ſed & verſatiſſimæ Europæ ſcientia ex diſpenſatione divinâ admodum ſtupenda quaſi Luminare Majus Microcoſmo, id eſt minori Mundo ſeu Homini, ſanitatis momenta & Monumenta, ſicut Maximus Poëbus Macrocoſmo ſeu Majori Mundo, Radiorum ſplendorem affatim ſuppeditat, *Utraque Auguſtiſſima Cæſarea & Regia Majeſtas* (quæ tuæ Philotheſiæ ſeſe velut inæſtimabilem Orbis Univerſi Theſaurum atque Delicium concredidit dexteritati) quaſi Meditrina *Tuum ob Diſciplinam Medicam Caput Exaltavit*, ut vult ſiracides L. Cit. v. 3. *ac in Conſpectu Magnatorum Collaudavit* adeò, ut ſimulacrum *ILLVSTRISSIMÆ EXCELLENTIÆ TUÆ* ceu Reſtauratoris Philiatriæ in Magnificentiſſimà Univerſitatis Aulà, ac in Hypocratis, Galeni, Celſi, Aſclepiadæ, Mneſithei, Menecratis, Chironis, Æſculapii, Zopyrii &c. Pantheo gratioſiſſimè juſſerit Collocari.

Vene-

Venerationis ergò, quà in *ILLUSTRISSIMAM MAGNIFICENTIAM TUAM* officioſiſſimè feror; hancce levidenſem Opellam Aræ Simulacri Tui Devotiſſimè litare Præſumo & Conſecrare, qui ſub Magnifico Tuó illud Demadis uſurpans Patrocinio:

Ægris Medicos, infortunatis Amicos adeſſe oportet.

Immortali devoveor Cultu

ILLUSTRISSIMÆ ET EXCELLENTISSIMÆ

DOMINATIONIS TUÆ

SERVUS HUMILLIMUS ET OBSEQUIOSISSIMUS
JOACHIMUS GOETZKE,
FORTALICII PHILIPPSBURGENS. PHYSICUS.

CASUS

CASUS
MEDICO-PRACTICUS.

Miles Gregarius ſub Regimine Tyrolenſi 50. Annorum Temperamenti Cholerico-Melancholici, elatique Pectoris optimos Juventutis annos in Caſtris conſumpſerat, inſimulque diætâ inordinatâ uſus erat; cum primis autem ſub defatigationibus extraordinariis vehementes tum in toto corpore tum in pectore & pedibus refrigerationes perpeſſus, & alioquin intempeſtivis V. S. in brachiis aſſuefactus: is jam à multis annis poſt Exceſſus quosdam in potibus calidioribus commiſſos, Eclyſim ſeu defectionem Virium eſt expertus, ubi per ineptas ope-

B ratio-

rationes Chyrurgicas & Medicamenta adhibita Chyrurgus Caſtrenſis exiſtimabat, quòd ille Morbus per uſum Tincturæ Corrallorum unquam redeat; undè benè dicitur:

Temporibus Medicina valet: data Tempore proſunt;
Et data non apto Tempore multa nocent.

Dum autem æger intrà tres Menſes Hoſpitale-Cæſareo-Philipopolenſe nactus adventavit, de novo frigus inſolitum in abdomine experiebatur, cujus incommoda nec temporis ſucceſſu evitare potuit; aliàs autem ſæpiſſimè morbis acutis obnoxius fuit, quos inter notam merebatur is, quem per frigus perpeſſum ſentiebat, utpote cui inſignis pectoris affectus, cum vehementi eáque ſiccâ Tuſſi, Vomitu, & paroxyſmatim affligente præcordiorum anguſtia jungebatur, à quo tamen intrà tres ſeptimanas modicè convaluit; nihilominùs morbus hic aliquid reliquiſſe videbatur facilè, dum æger noſter ab eo tempore (hìc Polypum primas radices egiſſe cenſeo, poſteà eundo creſcentem) continuò de pectoris dolore, vel maximè verò corpus flectendo, conquerebatur: hæc pectoris compreſſio abhinc annuatim incrementum cœpit, & à quadrante unius anni ægrum taliter hactenùs exercuit, exagitavitque, ut ſcalas vix ampliùs aſcendere valuerit: plurimæ excandeſcentiæ aliique affectus animi non tantùm prodromi, ſed & Comites & nutrices hujus mali fuerunt; non potuit igitur non affectus hicce pectoralis ægrum ſucceſſivè magis magisque difficultate reſpirandi (ſub quâ exſpiratio inſpiratione longè fortior, imò magno ipſi erat levamini, ſi aliquandò ſuper reſpirare, & pulmones aëre prorſùs replere poterat) tuſſi ſiccâ & gravitate artuum affligere, ut tandem antè duas circiter ſeptimanas aëri ſeſe ſubtrahere, lectóque ut plurimùm coactus fuerit mancipare, quemadmodum mor-

morbus verè hicce nunquàm non paroxyſmatìm rediit, ità ægrum ſub acceſſione anheloſæ anxiæque reſpirationis (in quà Paroxyſmus juxtà cum Palpitatione Cordis Phlogoſique conſiſtebat) Vomitus enormis corripuit, quo durante os tantâ pituitæ Copiâ implebatur, ut ſe ſuffocatum iri vereretur: ſub illà commotione inſultum Hemiplecticum ſimul experiebatur, quo latus dexterum quaſi ſtupore correptum, osque prorſùs incurvatum erat. His mox deſinentibus æger ſpontè ſuà referebat, quod in Cerebro quid ſenſerit, ac ſi Strophiolum humido-frigidum illi circumvolveretur, ſplendentibus mox ſcintillulis fulgurantium adamantium inſtar ob oculos verſantibus & continuè quaſi ludentibus, cum Exceſſivis in dextero Capitis latere ſupra oculum doloribus, nec non vehementioribus, capitis ſuſurris; eò quod hoc cerebro quaſi Privatum aut Excavatum ipſi videretur: durantes hæ & urgentes circumſtantiæ fuerunt prodromi adhuc periculoſioris mali; ſiquidèm ſub iisdem reſpirationis difficultas ſemper ingraveſcens ægrum vehementiùs exercuit, ut ſub anguſtiis Præcordiorum immanibus, quorum intuitu nullibì permanere poterat, ſpiritum vix ducere potuerit: in ſtatu hoc longè miſerrimo præter omnem Genii conſuetudiuem impatiens admodùm leviſſimâ de cauſſa irritabatur; undè conſectarià alteratione & affectu animi vehementiore, tali in pectore afficiebatur, ac ſi ferramento quodam illud dilaceraretur, ſub quâ ſenſatione reſpiratio illi major videbatur atque uberior: tandem impetu quodam hic naturæ ſtatus ſe in vomitum vehementem, & poſt Vomitum in reſolutionem Nervi optici dexteri lateris reſolvebat, indèque conſortialis dexteri oculi uſus omninò prorſùs disperibat, gutta verò ſerena ſeſe protrudebat, ſicque cæphalalgia, quà hactenus doloriſſimè torquebatur, uno eoque

 ſubi-

ſubitaneo impetu fuit profligata. Adhibuimus itaque in ſtatu hujusce morbi tàm gravi Medicamenta Purgantia Enemata, apoplectica: & en! ſub primo ſtatìm acceſſu Ægro V. S. in brachio, ubi aliquandiù ſanguis ſepoſitus erat, ne minimum ſeri continebat: ipſemet ægrum poſt V. S. quoad reſpirationem ſublevatum adoriebar, increſcente tamen ſiti & Calore ægri mutatio eò nobis gratior acceptiorque erat, eò quòd potum jam Majori ac ſolebat anteà, quantitate aſſumeret, utpotè quem hactenùs ferè averſabatur; interim hæc ſublevaminis apparentia ſucceſſu exoptato carebat; ſiquidèm pulſus inæqualis & intermittens, reſpiratio autem anheloſa anxiaque permanſerit; & quamvis æger interdum quieſcere videretur, ſpiritus tamen, quem ducere decebat. aliquandò prorſùs emanere moxque cùm vehementi ac brevi, ſed anxiâ inſpiratione redire ſolebat; duxi; ergo præſcribendam forè, dum ſpiritus proſtrati magnâ ſub debilitate, ſequentem potiunculam cordialem:

Rec. *Aq. C.C. Citr. -Cinamom. cordial. Temp. ana. Unc.* 1. *Spec. ceph. m. pulv. pretioſ. alb.-antiſpasm. oc. cancr. Citr. ana. Drachm. ſemis. Conſ. Alk. Drachm.* 1. *Julep. cordial. Sir. violar. ana unc. ſemis. Liquor. Anodyn. miner. Spir. nitr. dulc. Drachm. ſemis.* Potio cochleatim ſumenda ut ut ſpiritus vitales ſeſe aliquantulùm recollegerant, nullam tamen indè quietem capere poterat; in remiſſione inſequenti æger ipſemet uſum vomitorii urgebat, ſperans fore, ut ejus adminiculo bilis cor forte infeſtans eliminaretur; cum certus ſit, ùt ajebat, hocce malum ex iræ ſeminario fuiſſe ſubnatum; aſt inſigne ejusmodi remedii diſcrimen ægro ob oculos ponebam, quod ſcilicet per Vomitus violentos alterius oculi jacturam ferre poſſet; non obſtante hâc meâ contradictione, reſolutioni ſuæ firmiter tenaciterque inhærens replicuit, ab omni

omni me incuſatione liberare & abſolvere velit: ipſemet igitur Doſim. Rec. *Pulv. hypoacan. Scrupul. duos & ſemis. ſpecif. Jalap. ſcrup.* 1. *Tart. ſolub. ſcrup. ſemis*: ceu leve Vomitorium adhibui, quod poſt moram aliqualem cùm inſigni totius Naturæ levamine effectum exoptatum haùd difficulter exerebat: abhinc nequaquàm intermiſſum fuit, quoad indagandam evomendamque materiam peccantem, in quantum aut pulmones aut viſcera in hypochondriis obſidere poſſet, inſerviret; ſed absque omni levamine morbus antiquum reſumebat ſtatum, Paroxyſmis ac ſympthomatibus eodem ſemper modo recurrentibus, vires & quietem magìs magìsque proſternentibus; accedebant ſubindè Rheumata extus hinc inde, mox in pedibus, mox in Coxendice, mox in ſcapulis vagantia: aliàs autem affectus, in quantum obſervare valebam, ità ſemper comparatus fuit, ut à meridie circà veſperam Paroxyſmus tuſſi ſiccâ, raucedine majori ſpiritûsque interceptione cum Phlogoſibus exurgentibus & palpitatione Cordis ingrueret, quæ ſympthomata ante meridiem ægro magis tolerabilia, utpotè abſque raucedine tuſſique per ſcreatum faciliora erant. Pulſus interim extrà æque ac intrà Paroxyſmum idem erat, quoad Rhtinum ſcilicet inæqualis, & poſt 2. 3. ſubſaltantes impulſus, intermittens; præprimis verò æger de Corde quærebatur continuò quod in pectore verſus dorſum ſemper tremat atque palpitet: rebus ità ſe habentibus æger ſic ſatis ſe reſupinare (niſi quod ſub anxietatibus irruentibus ſe erigere maluerit) ſiniſtro quoque lateri diutiùs & meliùs incumbere, quàm dextero poterat. Pro inſigni naturæ beneficio habebatur, quod alvus per totum morbi decurſum, ùt ùt eo non obſtante pro revulſione Clyſteres reiterarentur, aperta fuerit: appetitus ut plurimum adhuc viguit, quanquàm ultimis temporibus

ſatis ſuperque fuerit proſtratus, poſtquam per integrum octidui decurſum omnia poſſibilia, quoad ſtatum mihi imminentem Polypi exhibueram remedia, ob nimiam ſanguinis bullitionem & exorbitantem Cordis Palpitationem Phlebotomiam in pede adhibere mihi perſuaſſiſſimum fuit; aſt nullo interim vel levamine, vel damno inſequente omnia potiùs antiquum obtinebant ſtatum niſi quod Paroxysmus Vomitu a meridie recurrente anticiparet ſic in dies rediret, plurimisque diebus ſe prorſùs inverteret, ad hæc mox in mediâ nocte ſub reſupinato magìs ſitu & refrigeratione pedum in ſomno (ſomnolentià potiùs dicendo) ſub interceptione Spiritûs inſultus quidam apoplecticus accedebat, à quo tamen per frictiones cum pannis ſedulas facile liberabatur, atque paulò poſt venæ ſectio in pede reiterabatur, ſed absque ullo itidem emolumento: eodem die Paroxyſmus à meridie denuò citius ſolito recurrebat cum repetitis Vomitibus, quibus jam dudùm pituita coloris carnei è ventriculo ejiciebatur; omnibus tamen Medicamentis in Caſum exhibitis non poterat morbus ſuccreſcere: hactenùs enim Calor vagus erat, absque genuino typo alicujus febris; poſt 4. dies vehementius urgebat cum indiciis febris inflammatoriæ, ægro de punctionibus cordis & pectoris ſiniſtri magis conquerente, atque ob Paroxysmos ac Palpitationes cordis brevioribus intervallis recurrentes in quietiorem ſe gerente; præprimis autem notam merebatur id quod miles gregarius in Hoſpitali infirmis inſerviens noctu obſervabat; cum enim ſub Paroxyſmo ſuffocationis manus pectori ejus admoveret, tanta in pectore ægri palpitatio ſeprotrudebat, ut manum inſervientis à pectore repercuteret, nihilò tamen minus æger viribus repetitis per Cordialia & Antiſpasmotica adhibita Medicamenta die ſubſequente priſtinis quaſi in terminis ob-

ſer-

ſervabatur; interim fortè ſentiens, quod ſub reſupinatione & decubitu reſpiratio continuò difficilior & anxia magis reddatur, lectum tempore nocturno abhorrebat, atque aliquot noctes transigere leviores putabat, niſi quod pedes intumeſcere inciperent. Sub hac conditione morboque invariabili non obſtante omnium etiam Pretioſiſſimorum Medicamentorum hìc convenientium uſu omnibusque Pharmacis uſurpatis, rebus ità ſic ſtantibus viribusque planè debilitatis æger ſui ampliùs compos eſſe non potuit; pulſus inſuper debilitabatur adeò, ut tandem non aliter, ac per motum tremulum cum fibrarum proximarum ſubſultu obſervari potuerit: facie tandem Hypocraticà apparente Miſellus, mentis tamen integrè compos inter Rhonchos & ſtertores animam abſque convulſionibus efflavit.

EPICRISIS.

Quod diverſi de Polypis Æthiologiam vulgarint authores Medritinæ eloquitur & comprobat Palæſtra; noſtra verò pagella ſolùm modo anatomizat polypum cordis ventriculi tàm dexteri, quàm ſiniſtri cum nimià cordis palpitatione, uti & propte nimiam ramificationem ex utraque parte prorepti.

Polypus itaque Cordis in ſe eſt concretio alba, quæ vel dexteri ventriculi ſtaminibus adhærens in arteriam pulmonalem ramis protenditur: ſi in *ſiniſtro ventriculo* accidat, in arteriam magnam ejusque divaricationes brachiis ſuis porrigitur. Color *polypi dexteri ventriculi* ſubalbidus laridi inſtar, ſeu excreti ſucci, quem pituitam appellamus, & interdum rubra quædam & ſub nigra ſtigmata conſperſa habet in ſiniſtro autem colorem plerumque atrum & denſiorem obtinet ſubſtantiam. Sæpiùs inſuper Polypus

pus aliquali cuticulà gaudebat. *Duplex* porrò *Polypus* eſt: *Perfectus*, qui Corpus eſt magis cohærens & compactum exhibens & *Imperfectus* qui levius cohæret, uterque tamen ſupponit viſciditatem ſeri nutritii & ejusdem coagulationem: ubi nec dubites velim me in praxi per 26. annorum ſpatium ſat operosà Polypos, propè innumeros in ſectione Corporum obſervâſſe; Crebriùs tamen in dextero Cordis ventriculo; rarius autem & tantum aliquod ſpecimen in ſiniſtro; propterea verè & benè *Malpigehius* ſcribit, quod pluries in dextero Cordis ventriculo, quam in ſiniſtro videantur & maximè inde mortuis ex apoplexià concreſcentiæ Polypoſæ inveniantur, de cujus causà Malpigehius diſcurrit. Caſus autem hic rarior eſt, cum Exceſſiva ſtructura Polypi tam in dextero quam ſiniſtro Cordis ventriculo cum mirà circumclusà ramificatione fuerit obſervata; nonnunquam in ægro noſtro ſupponebam reperiri polypos, quamquàm in principio infirmitatis hæſerim dubius; per uberiorem tamen & diuturniorem ægri conſiderationem omninò perſuadebar ſublatere polypos non ordinarios, quidni occurſuros fore ulteriores: hac in opinione polypoſa me confirmabant indicia; eòquod, licet morbus paroxyſmos exacerbationis cum nimia tamen palpitatione Cordis haberet, attamen tempore intermiſſionis & liberationis de Paroxyſmo, pulſus à me Examinatus, æque inæqualis, ac interruptus deprehenderetur, in Paroxyſmo verò Pulſus ipſaque Cordis palpitatio confuſionem adamuſſim imitaretur: ſomnus inſuper ægri notam merebatur, quod ſcilicet ſpiritus per plura ſe inſequentia minuta vix duceretur, acſi ſyncopen pateretur, idque abſque ullo reſpirationis indicio: tandem pedetentim & quidem in principio breviſſimis & citiſſimis, ultimò verò fortioribus & vehementioribus ùt ùt anxiis ſuſpiriis revertebatur, ſub quibus æger ob internas anguſtiarum preſſuras jugi Corporis jactatione in-

inquietiſſimus erat: neque venæ ſectio ſæpius iterata, neque Medicamenta interna ac externa vel minimum levamen aut reconvaleſcentiam contulerunt. Omnes hæ circumſtantiæ ſicut ordinariæ inſolitæque fuerant, ità & meo judicio cauſam prorſùs extraordinariam ſublatere cenſebam, cui indeterminatione cauſæ morbificæ quoad Polypos firmiter inhærebam; Cupidiſſimus inveſtigandi eam, Cadaver per Dominum Chriſtophorum Kempten Regiminis Franconiæ Chyrurgum in rebus, tam Chymicis, quàm Anatomicis benè Meritum Curabam ſecari: & ecce! ſubſectione & inſpectione penitiùs ſequentia obſervavimus:

1*mò*. Tàm in Pectore, quàm in abdomine aliquid de Pinquedine.

2*dò*. Poſt apertionem Thoracis integrum & redictum continuum pectus ſe trudebat.

3*tò*. Neque in Cavitate Pectoris, neque in Pericardio aliquid ſeri extravaſati inveniebatur.

4*tò*. Magnitudo Cordis ac Auricularum extraordinaria erat.

5*tò*. Ventriculi Cordis in omnibus Cavernulis & rugis maximà ex parte in torto hinc inde fibras & ſtamina Cordis obvolvente Polypo occupabant, cum ſanguine coagulato.

6*tò*. Auriculæ Cordis internæ ſimili Polypo (excepto pauco ſanguine Concremato) penitùs replebantur; Polypi autem Portio, quæ auriculàm Cordis dexteram occupabat, dimidii lunaris Circuli ſimilitudinem habebat.

7*mò*. Cum Polypo è dexterà auriculà prodeunte, alius magnus & prolixus cohærebat, circum circà ſanguine coagulato obſitus, & ramificationem inſtar ſerpentis ad ſimilitudinem deprehendimus.

8*vò*. Siniſtra Cordis auricula à Polypo omninò extendebatur, cum quo Polypus pariter alius non tam Prolixus erat, qui ramum circumvolventem in ſe continebat.

9*nò*. Subſtantia Pulmonum à ſanguine prorſùs intumeſcebat: antrorſùm inflammatio minor, retrorſùm autem verſùs dorſum eò Major cum Maculis inſignibus nigricantibus fuerat à ſtagnante & extravaſato ſanguine oriunda.

10*mò*. Loca Inflammata in ſubſtantiâ Pulmonum hinc indè diſſecabantur; aſt nullibi vel minimum puris Cocti aut Vomicæ reperiebatur; in locis autem nigerrimis ſanguis reſtagnans putridum odorem ſpirare incipiebat: unde ægrum in primò gangrænæ imminentis Principio demortuum fuiſſe cenſeo.

11*mò*. Sub apertione abdominis quoad partes omnes internas nihil alicujus momenti occurrebat.

12*mò*. Hepar, veſica, fellis ventriculus, Pancreas, lien, glandulæ & venæ Meſaraicæ, cum cæteris aliis inferioribus partibus hinc & inde inflammata & eroſa videbantur.

EXPLI-

EXPLICATIO
TABULARUM CUM FIGURIS.

TABULA 1ma FIG. 1ma.

L. A. Polypi Fragmentum eſt, quod auriculæ Cordis dexteræ inhærebat, plurimis fibris circumdatum & dimidio lunari circulo non abſimile.

L. B. Portio trunco Venæ Cavæ deſcendenti infixa.

L. C. Alia portio in lineâ extenſâ & ad truncum Venæ Cavæ aſcendens.

L. D. Ramificatio circumvoluta inſtar ſerpentis.

1. 2. 3. 4. Sunt Partes Polypi, quæ dexterum Cordis ventriculum obſidebant, & fibris hinc indè disjectis cingebantur.

TABULA 2da. FIG. 2da.

Lit. A. A. Portiones Polypi ſiniſtræ Cordis auriculæ impactas & incluſas notant.

B. B. Extremitates è Venà Pulmonali ſub ſiniſtri Cordis auriculà extractas demonſtrant.

C. C. Ramus circumvolvens.

1. 2. 3. Polypi à Cordis ſiniſtrò ventriculo ſeparati, & in Cavernulis inveniebantur.

FIG. 3tia. in TAB. 2da.

Lit. *A. A.* Fragmentum Reni non abſimile, fibroſum in ſiniſtro Cordis Ventriculo inventum.

B. B. Cuſpides Fragmenti.

TAB. 3. FIG. 4ta.

Lit. *A. A.* Diſſectio Medietatis Polypi dexteri Cordis auriculæ.

B. B. B. Excretio ſucci albi Coloris laridi inſtar.

C. C. C. Fibroſæ partes internæ in Excretione ſucci albi hinc inde diſtributæ.

D. D. Diſſectio Rami Circumvolventis ſerpentis ad inſtar.

FIGURA 5ta.

Lit. *A. A.* Polypi ſiniſtri Cordis auriculæ diſſectio.

B. B. B. Excretio ſucci atri & denſioris ſubſtantiæ.

C. C. Fibroſæ partes hinc & indè in ſubſtantià excretionis diſtributæ. D. Rami Circumvolventis diſſectio.

FIGURA 6ta.

Lit. *A. A.* Fragmentum diſſectum.

B. B. Pinquedo.

C. C. Fibræ:

D. D. Cuſpides diſſecti.

EPILO-

EPILOGUS.

Ex hiſaliter animentur Medicelli aut Aceſiæ, qui ut inſcitiam ſuam tegant, impietatis accuſant eos, qui Corporum humanorum ſectioni dant operam, quaſi verò pium magìs ſit viventium ſanitatem negligere, quæ ſine accuratâ internarum partium cognitione reſtitui nequit, quàm in mortuorum corporum, quæ putredine per ſe collabuntur, & à vermibus conſumuntur, diſſolutione, mirabilem Dei optimi maximi ſapientiam deprehendere, & quæ plurimorum ſaluti inſervire poſſunt, inveſtigare. Macte igitur Mi Philiater! & induſtrioſè anatomen conſule, ut ægris magìs & tibi conſulas. Vale quàm optimè.

Philippsburgi 12. *Martii*

QVo AVgVſtVs Cæſar & IoſephVs TeVtonIæ ReX FranCofVrtVM VIennà AVſtrIæ DIsCeſsIt.

CLARISSIMO VIRO
DOMINO
JOACHIMO IGNATIO GOETZKE,
A. A. L. L. PHILOSOPHIÆ ET MEDICINÆ DOCTORI, SACRÆ CÆSAREÆ REGIÆQUE APOSTOLICÆ MAJESTATIS ET FORTALITII PHILIPPSBURGENSIS PHYSICO,
AMICO SUO COLENDISSIMO.

Quot quantíſque malis ſit præſens vita referta!
Sexcentis morbis Corpora noſtra docent.
Idcircò Magnus, Speciali laude ferendus,
Qui poſſit fauſtas his adhibere manus-
Prorſùs: qualis eras Theſſinæ *GOETZKE* peritus,
Et Philippsburgi: quod probat hicce labor:
Salve! macte tuæ claro virtutis honore,
Et prodeſſe diu perge, Valéque benè.

JOANNES JACOBUS NEUDEK,
Phil. & Med. Doctor, Rev. & Illuſtriſſimi Capituli Cathedralis Spirenſis Phyſicus, & Eminentiſſ. Electoris Trevir. Conſiliarius Aulicus.

Quare

*** *** ***

Quàm varii Corpus cruciant morbive feroces
Caſus! ex Polypo Cordis, Amice, vides.
Ne ſpernas igitur, quam Doctus ex arte peritus
Goetzkeus confert hìc anagoges opem.

P. IGNATIUS
BINGENSIS
Capucinorum Lector Emeritus, Ex-Diffinitor
& Guardianus Spiræ Indignus.

SPIRÆ,
Litteris Ludovici Bernhardi Friderici Gegel.

Tabula: 2da:

1





fig. 2da:



fig: 3^{tia}:



3.



Tabula: 1ma

Fig: 1ma



Tabula: 3tia:

Fig: 5ta:



Fig: 6ta:




Fig: 4ta:

